sicut predixerat ysaias. puer natus est nobis et filius datus datus est nobis.
qui inter deum et hominem legitime mediaretur. Si enim alterius
esset nature non esset utriusque consors. quia certa non esset ydoneus ut inter
eos pacis federa reformaret. Mediatio autem non est unius
inquit apostolus. et ob hoc in christi nativitate celestis milicie multitudo
psallebat. Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bone voluntatis. Ipse
enim est pax nostra qui fecit utraque unum. lapis angularis qui nos
de diversis parietibus in homine uno copulavit. Potuit deus
hominem solo verbo per potentiam liberare sed maluit eum redimere
precioso sanguinis sui precio per iusticiam ut eum non ad potentiam sed ad
iusticiam invitaret. Et iustum erat ut homo perpetue pene
debitor redimeretur a debito culpe placando deum quem
per culpam offendat. nulla autem pena sufficere poterat ad
precium nostre huius redempcionis propterea quia quilibet homo esset debitor
pene non solum ex iniquitate commissa verum et ex labe contracta.
vii. jo. Si dixerimus quia peccatum non habemus nosipsos seducimus
et veritas in nobis non est. psalmus. Omnes declinaverunt simul inutiles
facti sunt non est qui faciat bonum non est usque ad unum. Quo
circa verbum caro factum est et habitavit in nobis. ut in carne mundissima
que prorsus erat immunis a culpa sustinendo penam indebitam
precium redempcionis humane deo patri persolveret factus obediens
usque ad mortem. mortem autem crucis. Redempti enim sumus non
corruptibili auro vel argento sed precioso sanguine agni imma
culati. Nam summus sacerdos in cuius morte ~~reden~~ rei qui confuge
rant ad civitates refugii revertebantur ad propria. Suscepit igitur
in se penam pro hominibus ut daret per se gloriam universis. ysaia
testante qui ait. Vulneratus est propter iniquitates nostras attritus est
propter scelera nostra disciplina pacis super eum livore eius sanati
sumus. Vere languores nostros ipse tulit. et dolores nostros ipse portavit.
Carne autem assumptionis non solum dedit pro nobis in precium

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 596, p. p.%20110 – Excerpts from the lives and teachings of the Monastic Fathers (http://www.e-codices.ch/en/csg/0596/p.%20110)